

**EVANGE=||LIA || QVAE CONSVETO || MORE DOMINICIS ET ||  
alijs Festis diebus in Eccle-||sia leguntur**

**Aemilius, Georg**

**COLONIAE, 1555**

Dominica Post Natalem Domini. Evangelium Lvc. II. Cap.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69317](#)

## DOMINICALIA.

Hinc ubi nota satis tanti miracula partus,  
Discedunt iterum læti, plebemq; per omnem  
Notificant, quæ dicta sibi tum uisa fuerunt.  
Obstupuere super pastorum uocibus omnes,  
Atq; nouum mirantur opus, dictumq; puellum  
A dididit insueto quem uirgo puerpera partu.  
At pia seruabat tacito sub pectore mater  
Omnia, de puer quoæ prodita uerba fuissent,  
Singula sollicito secum sub corde uolutans,  
Expendensq; uirum uoces, casuq; futuros.  
Hinc ubi pastores populum sparsere per omnem  
Nuncia de cælo patefacta et cognita coram,  
Continuò campos repetunt, caulasq; reuisunt,  
Laudantes dominum cæli super omnibus illis,  
Quæ narrata sibi primùm, post uisa fuissent.  
Omnis cantus erat, Puer, omneq; carmen, Iesus:  
Omnibus hoc læti calamis et uoce sonabant:  
Cuncta repercussis reddebat uocibus Echo.

DOMINICA POST NATALEM DOMINI.

EVANGELIUM LVC. II. CAP.

ARGUMENTVM.

Predicit Symeon casus tibi uirgo futuros,  
Hanna patris uates nec Phanuelis absit.

Talia

EVANGELIA

**T**Alia de puerò quæ dicebantur Iesu,  
Mirati secum materq; paterq; fuerunt.  
Protinus hic illis Symeon benedixit, & ore  
Vaticino cœpit Mariæ sic dicere matri:  
Aspice quem casto genuisti corpore natum:  
In tristem positus multorum est ille ruinam:  
Aspice & hoc multi Solyma de gente resurgent.  
Namq; erit in signum, contrà cui dicere plures  
Audebunt, odioq; virum grauiore lacebent.  
Tunc animam gladius tibi pertransibit acutus,  
Pectora multorum quò tandem arcana patescant.  
Quæ diu latuere animis, cernantur apertè.  
Talia cùm fierent, mulier tum fortè Prophetis  
Adfuit Hanna simul, Phanuelis filia patris,  
Stirpis Azareæ, senio iam cana trementi.  
Illa suo septem cum coniuge uixerat annos:  
Post, ubi defunctum rapuissent fata maritum,  
Constituit cœlebs uiduam traducere uitam:  
Lustraq; bis septem totidem subiunxerat annis,  
Iam defecta tremens, tristiq; absympta senecta.  
Sed tamen ignauo non pectore sacra colebat,  
Semper & in templo domini ceu serua manebat  
Ieiunans cum nocte diem, constanter, & orans.  
Hæc etiam puerum uenerans accessit Iesum.

Lauda

## DOMINICALIA.

Laudauitq; Deum, qui pignora tanta dedisset,  
Plurima uerba super promisso semine fundens,  
Monstrabatq; nouam populis instare salutem,  
Quæ Solymis annos tot iam expectata fuisset.  
Talia plena Deo præsaga mente canebat.

Iamq; ubi cuncta pie matri perfecta fuissent  
Debita sacrorum fieri que Lege iubentur,  
Obtulerit primum si quando puerpera natum,  
Protinus in patrias terræ Galilæidos oras  
Fida redit genitrix, charo comitante marito:  
Perq; alterna uias infantem brachia gestant,  
Donec ubi cœlo ueniens lux quarta resulxit,  
Nazaream subeunt finitis cursibus urbem,  
Et patrios tetigisse lares, sua limina, gaudent.  
At puer interea primos crescebat in annos,  
Corporis atq; animi mirando robore surgens.  
Namq; Dei præsens firmabat Spiritus illum.  
Hinc insueta subit teneram sapientia mentem:

Qualis ab humano non semine prouenit unquam,  
Gratia tum Domini puerum complexa souebat.

IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI.  
**EVANGELIVM LVCAE IL.**

ARGUMENTVM.  
Octo dies ierant, cum circumciditur Infans,  
Atq; datum cœlo nomen Iesus habet.

B Lux

